

498
observatur, cuius calles, ut alibi (e) plenius ostendi, argento auro, pretiosisque lapillis, ac gemmis sterni possent, si talem in retinendo, qualem in acquirendo diligentiam & vigilantiam adhiberemus.

35 Neque enim ferendi credendivè sunt Turnebus (f), & Julius Scaliger (g) qui divitias ad nos ex Orbe Novo transvectas, flocci naueque faciunt, aut Satyricus ille Barclayus (h), qui dicere ausus fuit, quod Hispani, *Sui ararri famam opulentiae Indice nomine, & ingentibus præterea verbis, cauta, & industria fraude sustentant*, cum contrarium universus Orbis testetur, qui ferè totus ex ejusmodi divitiis dependet, & plures alii (i), Fidei probatoris Auctores, qui in illis recensendis immorantur, & vel ex sola Potosiensi Argenti fodina, ex prima ejus detectione, ad hæc nostra tempora plus mille millionum extractos esse commemorant.

36 Plane Cicer (k), Flacci editum commendans, quo vetuit, ne ex omnibus provinciis Populo Romano subiectis, aurum in Jerosolymam deferetur, similes leges omni laude dignas, his verbis ostendit: *Quis est Judices, qui hoc non verè laudare possit; exportari aurum non oportere, tum sepè ante Senatus, tum me Consule sepiissimè judicavit.* Quem locum quidam ex nostris (l) expendens, hoc solum à nostris ignoratum, vel neglectum, prudentissimè, & penitissimè dolet, cum tot nostræ substantia sanguisugas patiamur, & post detectionem Novi Orbis, in extraneas provincias, & quod magis dolendum est, ut plurimum hosticas, mille quingenti, & quod excurrat, millions exportati dinumerentur. Undè ob eamdem hac in parte incuriam effectum est, ut vulnus telis nostris facta patiamur, & cupreæ vilique moneta obruti aurea, argenteaque careamus, & inter medias proprias divitias mendicemus, non secus, atque in mediis aquis, ac pomis sitiisse, & esuriisse Tantalum Veteres fabulantur.

37 Qua miseria, nullam majorem inveniri posse, Salomon edocuit (m), dum dixit: *Vir, cui dedit Deus divitias, & substantiam, & homo extraneus voravit illud, miseria magna est.* Eamque Nobis velut exprobrans, aut subsannans Prudentissimus ille Francorum Rex Henricus, hujus nominis IV. ut Petrus Matthæus (n) in suis narrationibus memorat, cum in ejus praesentia Hispanica divitiae à quodam nimis extollerentur, & quod Pistoleti, & Regales numi Hispanici ubique ferè pretia rerum constituerent, reliquias monetis quasi ferias agentibus, respondisse narratur: *Hispanica Moneta domi significat abundantiam, foris indigentiam, & necessitatem. Hispani ad nos veniunt, Nos non proficisciuntur in illos, neque nobis donant suas pecunias, sed debent Nobis veluti suis creditoribus, & plus quatuor milliones auri quotannis ab eisdem vilissimis nostri Regni mercibus expiscamur.*

38 Quid expertissimi & callidissimi Principis dictum Nos cautiores, & attentiores in nostris divitiis retinendis reddere deberet, ne proprio nostro gladio ab inimicis Hispanæ Monarchiæ jugulari videamur, & duplice damno affici, dum illud ipsum quod extrahi patimur, in nos ipsos statim converti sentimus. Docente quippe Vegetio (o): *In omnibus præliis, expeditionis conditio talis est, ut quidquid tibi prodest, adversario nocet; quod illum adjuvat, tibi semper officiat.* Et secundum aliam Xenophontis (p) sententiam: *Ab hostibus parta abundantia, non solum commineatum, sed immortalem gloriam apud omnes mortales parere solet.*

39 Sed nimicrum, ut de eadem nostra incuria in Monetis cedendis, & probis retinendis, loquens, Scribanus observat (q), magna ferè Regna, vel ipsa magnitudine sua adnescio quæ improvida labuntur, quasi sub ingenti mole faticant genua, *Atque ita (inquit) cum orbem propè universum auro, argento, gemmis lassent Hispani, Regnum ipsi suum ære fatigant ignobili, & pro auro, argentoque, æs illis ab hoste cusum est.* Aut fors dicendum, semper abundantiam contumeliosam fuisse in se ipsam: evenireque nunc hoc apud Hispanos in auro, ut mirum videri possit, cur non vincit in ergastulis babeant auro, & divitias improbos onerent, tanto locupletiores, quanto nocentiores. Nam quid ego aliud dicam? Aurum video tota propè Hispania exulare, & imperare. Quando carambii tellus, discibus opulentia tenebris lucem intubere? Quando ægro corpori remedia admoverebis? Habis Regem qualis ne voto assequare majorem, amantem tu, publicique amantem boni, Audi Vota Mea Deus, audi Bonorum omnium.

EM-

(f) Turneb. lib. 14. cap. 21.

(g) Scalig. exercit. 9. Salmuth. ad Panciro. tit. de Novo Orbe, ex pag. 26.

(h) Barclay. de Iconib. Nationib. cap. 7.

(i) Acosta, Maluenda, Garcilass, Majol, Beyerl. & alii ap. Med. Polit. cap. 1. & in 1. tom. lib. 5. cap. 1. n. 12.

(k) Cicer. in orat. pro Flacc.

(l) Alphons. Carranz. in tract. de monet. 3. part. cap. 4.

(m) Eccles. 6. vers. 2.


(n) Petr. Matth. in narrat. Thom. Lant. in Orat. contr. Hispan.

(o) Veget. lib. 3. de re milit. cap. 21.

(p) Xenoph. de gest. Grac. lib. 5.

(q) Scriban. in Cash. Christ. lib. 1. cap. 24.

TRIBUTA QUALITER IMPONENDA.



Non carpo florem, sed succum exhauiro tantum:

Siccine mel fingo, flos tamen ecce manet.

Sic succum è Regno (flos est) decerpite Reges,

Ut flos non pereat, duret amarus adhuc.

COMMENTARIUS.

I Robæ Monetæ curam, quam adeò in superiori syntagmate Regibus, ac Principibus commendavimus, illa etiam subsequi debet, quæ in imperandis, temperandisque tributis versatur, ubi urgens occasio, communisœ totius Regni utilitas, illa à subditis corrogari suadet. Nam etsi negare non possit, hæc justis legitimisque Principibus, ubi justè & legitimè indicuntur, à vassallis præstari debere, ut potè in quibus totius Reipublicæ nervi consistant (a), ut passim in Theologorum, Jurisprudentum, & Politicorum libris (b) habetur, quos alibi plena manu congressi.

2 Quòd respiciens Cicero (c), ea, Ornamenta Pacis, & subsidia Belli esse, inquit, dandamque operam, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, tributa esse conferenda, & necessitati parendum. Et Tacitus (d): *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt.* Et alibi: *Dissolutionem Imperii doce, si fructus quibus Respublica sustinetur, diminuantur.* Cum quibus D. Chrysostomus (e), & Cassiodorus (f), omnino legendi, convenient, & Rex noster Alphonsus X. qui in suis Septem Partitis legibus (g) habet, *Ser guisada cosa, que Pechos, i Trivioien con que se mantoviesen honradamente en sus despensas, é con que pudiesen amparar sus tierras,*

(a) L. 1. §. in causis, de questionib.

(b) Lips. Petr. Gregor. Marq. Contzen, Bobad. & alii, quos Ego congressi, 2. tom. lib. 1. cap. 13. ex num. 23. &

cap. 18. ex num. 3.

(d) Tacit. lib. 4. hist.

(e) D. Chrysost. homil. 23.

(f) Cassiod. lib. 12. epist. 16.

(g) L. 6. tit. 24. l. 6. & 11. in fin. tit. 28. part. 3.

é reinados, i guerrear contra los enemigos de la Fé, é porque pudiesen escusar sus Pueblos de echarles muchos pechos, é agravamientos. Omnes quippe in Crassianum illud, à Plutarcho (b) relatum, conspirant, Nullam autem vim satis esse Principi, cui sit alendus exercitus.

3 Adhuc tamen idem ipsi Príncipes curare summopere debent, ne sub his, aut allis quibuslibet titulis, ultra quam necessitas exigat, populos gravent, suave utilitati, aut cupiditati, potius quam communi saluti prospiciant, medicinamque ipso morbo diuiorem efficiant; sed leviori quidem, & suaviori modo, quo possint, has subditis præstaciones indicant, atque in eorum substantiam exugant, ut eosdem ad alias, ubi res poposcerit, habiles & idoneas inveniant. Monente quippe prudenissimo Seneca (i): *Magni animi est, magna contemnere: Prudentis est mediocria malle, quam nimia, ista enim utilia sunt, illa quid superfluant, nocent. Sic segetem nimia sternit ubertas, sic ad matritatem non peruenit nimia fecunditas.*

4 Quam doctrinam Cassiodorus (k), æquè prudenter de tributis agens, his verbis expressit: *Sed à Nobis, qui Fisci utilitatem stabili volumen diuinitate consistere, excludenda est dispensanda semper enormitas: ne augmento suo tuniens summa deficit, incipiatur magis deesse, quia immaniter visa est accrescisse. Et rursus inquiens (l): Illud amplius nostris utilitatibus applicamus, quod misericordi humanitate concedimus, Regnantis enim facultas tunc fit ditor cum remittit, & acquirit nobiles thesauros famæ, neglecta vilitate pecunia.*

5 In eamdemque collimans D. Gregorius Pontifex Magnus (m), ad Constantiam Augustam Constantinopolitanam scribens, eamque rogans, ut marito Italia oppressionem, & miseriam ob multa, & varia tributa, quæ pendere cogebatur, representaret, sic habet: *Sed ego suggero ad hoc, ut etsi minores expense in Italia tribuantur, à suo tamen imperio oppressorum lachrymas compescat. Nam & idcirco fortassis tanta expensa in hac terra minus ad utilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admixtione colliguntur; præcipiant ergo serenissimi Domini, nihil cum peccato colligi: nam scio, quia etsi parum attribuitur Republicæ utilitatibus, ex eo multum Respub. adjucatur. Quid etsi fortasse contingat, expensis minoribus minus adjucari, melius est tamen temporaliter nos non vivere, quam vos ad eternam vitam obstaculum aliquod invenire.*

6 Justinianus quoque Imperator (n), sibi gratulans, quod venalia suffragia pro eligendis Judicibus compescuerit: *Consideravimus enim (inquit) quia licet questus inmodicus immunitur Imperio, attamen nostri subjecti incrementum maximum percipient, si indemnes à Judicibus conserventur, & Imperium & Fiscus abundabit, utrus subiectis locupletibus.*

7 Cujus dictum Rex noster Alphonsus in quadam suarum lege (o) transcripsit. Et in alia (p), postquam alios modos recensuit, quibus Rex vassalos suos ab aliis tutari, & defendere debet, hunc, rei de qua agimus appositissimum, subdit: *Otros los debe guardar en tres maneras: La primera, de si mesmo, non les faciendo cosa desagradada, lo que non querria que otros les desfiesen. Ni tomando de ellos tanto en el tiempo que lo pudiere escusar, que despues non se pudiere ayudar de ellos, quando los oyese menester.*

8 Hinc quoque fluxit, & à Maximo Tyrio (q), & aliis, summè semper commendata fuit Alexandri Magni sententia: *Olitorem se odio habere dicentes, qui herbas radicitus excideret, sive extirpare. Et vulgarior illa, semper bonorum Principum menti figenda, quam, Suetonio (r) testante, Tiberius Imperator, aut reperit, aut usurpavit. Is enim admonitus ab amicis, ut provincialibus auget tributa: Boni & prudentis Pastoris esse respondit, Tondere pecus, non deglubere. Quæ vox, ut Erasmus (s) animadvertisit, adeo posteris placuit, ut jam in Adagium transierit, hodieque vulgo celebrata duret: ubi quis durior, aut in stantior exactior existit, quasi conveniat lana contentum esse; est enim, deglubere, detrahere pelle, trahum à rusticis, qui deglubere vocant, siliquam, aut folliculum excutere, & granum sua nudare tunica. Tendent igitur, qui ita spoliant, ut sortem relinquant, unde res possit crescere: deglubunt, qui nihil reliqui faciunt. Nam lana detonsa renascitur, cute verò detracta, nihil est, quod deinceps possit auferre.*

9 Ex quo dictorio Petrus Costalius (t) unum ex suis Pegmatis fixit, & ad rem, quam tractamus, applicuit, sub pictura opilonis ovem tondentis, cum lemmate, *Moderatio in subditos, & his carminibus:*

*Cui dedit Upilio Simas tondere capellas,
Ah cruciat miseris terga cruenta modis.
Quem tenet Herculei mestum prestatio voti,*

In-

(b) Plutarc. in vit. Erasm. Thom. Mor. in Utrop. pag. gitatio, collat. 2.

(o) L. 14. tit. 3. part. 2.

(i) Senec. epist. 39.

(p) L. 2. tit. 10. part. 2.

(k) Cassiod. lib. 4. epist. 38.

(q) Maxim. Tyr. ter. 13.

(l) Idem lib. 1. epist. 16.

(r) Sueton. in Tiber. cap. 13.

(m) D. Gregor. in Reg. lib. 4. epist. 32. quem & alios

(s) Exasm. in Adag. pag. 79.

referit Bobad. in Polit. lib. 5. cap. 5. num. 11.

(t) Costal. in Pegm. pag. 267.

(n) Just. Imper. in Autb. ut jud. sine quoque suffr. §. co-

Tributa, & vestigalia qualiter indicenda.

501

Inque una duplex jugere munus obit:

Parvo multa querens instare tributa novali,

Sepè grave immenso deserit ære solum.

10 Plura statim in Príncipes & Magistratus objiciens, qui cum commissam sibi plebem ab aliorum injuriis, insidiis, cæde, concusione, & vi armata liberare deberent, jus unicuique tribuere, & perditionum civium conatus nefarios à bonorum cervicibus depellere, potestatem dignitatemque suam ad eorum perniciem convertunt, provincias spoliant, omnia habent vñalia, servorum dimissiones faciunt ad diripiendas villas, vicinos sedibus expellunt, & denique nihil aliud agunt, quam ut rem suam pleniori efficiant.

11 Nuperus etiam noster Symbolarius (u), eamdem doctrinam suadere Príncipibus volens, arborē pingit, cui putatoria falso imminet, cum hac Epigraphè, *Poda, no corta, sic indicans, non dilaniando, aut dilacerando pro tributis populos esse, sed putando, leviterque, ac leniter in superfluis, non in humana vita prorsus necessariis, ea imponi oportere, & tandem concludens, quod La suavidad en la imposicion, i cobranza de un tributo, obliga á la concesion de otros. Cui mirè Horatianum illud (x) adridet, qui vim viti vitam esse ait,*

Ab ipso

Ducit opes, animunque ferro.

Et nostrorum Catholicorum Regum lex quædam (y), que jubet: *Que los arboles de los montes no se corten por pie, salvo por rama, i dexando en ellos horca i pendon, por donde puedan tornar á criar.*

12 Ego autem, ut novo alio symbolo, Emblemate, sive similitudine, hoc idem ostendam, & moneam, Apes, quas vides, variis floribus, ac frugibus insidentes, depingo, quarum eam esse naturam Plinius (z), & alii Scriptores testantur, ita succum ad flavos suos, ac mellificos favos conficiendo, ex illis exugere, ut nihil ipsorum utilitati viriditativè derahant, quin potius dominum, etiam ex spinis asperrimis mel suavissimum, ac clarissimum colligant.

13 Quam mirabilem tenuis hujus animalculi proprietatem, Joannes Boterus (b) ita eleganter Italij ritmis expressit, & ad notandos malos Príncipes, & bonos ad similem virtutem excitandos, accommodavit, ut piaculum esse duxerim ejus carmina meis hisce commentationibus non intexere, que sic habent,

*L'Ape è fornita di tal providenza,
E di circospettion si nobil piena,
Che si procaccia l' uil proprio, senza
C' altri ne senta detrimento, o pena:
Tragge dall' herbe, è fior lor quinta essenza,
E resta all' herbe è fior lor forza, è lena,
Succhia ella il mel; è à te riman, con tutto
Il suo vigor, e sua bellezza, il frutto.
Imparin quinci quelli, che non sanno
Cosa operar, che gravi altriù non sia.
Ne par lor de far ben, se non fan danno,
Se non fanno al vicin lor traversia;
Se colpie su la pancia altrui non vanno,
Se non usano e forza è tirannia.
Razza importuna, barbara, perversa,
Degna d' esser da gli huomini dispersa.
Imiti l' ape che fa lo dolce mele,
E la cera nudrice del bel lume,
Senza dannegiar punto le tue mele
O l' herbe, o i fiori onde il buon succo assume,
Senza far cosa onde tu ti querele,
Per che il giardin o l' horto si consume,
Fa in somma agitamente il fatto suo,
Non però recca danno alcuno al tuo.*

14 Quod Monitum latè ornari posset ex iis, quæ docè, ultrà alios, Politissimi nostri Politi-

(u) Saaved. in id. Polit. symb. 67. pag. 505.

(z) Plin. lib. 11. cap. 8.

(x) Horat. lib. 4. od. 4.

(a) Brasm. in similib.

(y) L. 7. tit. 7. lib. 7. Recop.

(b) Boter. in Primavera, cant. 5. stanze. 41. & seqq.

ci Marquez (c), Bravus (d), Bobadilla (e), Joann. Anton. Velazquez (f), Chilensis Episcopus, & novissimus Saavedra (h) literis tradunt, animadvententes, Optimum Principem, & suorum amantem, solum æqua, & legitima tributa, & vœtigalia à suis vassallis exigere, eaque introducata esse, non ut ipse augeatur, sed ut Populus defendantur; putareque debere, tunc maximè sumum negotium agere, cum publicum agit, & regnante ditare, aut depauperare, quicquid cives ditat, vel depauperat.

15 Quod, vel ipsis tacentibus, satis passim Pagina divina proclamat, apud Jeremiam (i) Principes, deglubentes populos suos, his verbis comminans: *Væ Pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant gregem pascue meæ, dicit Dominus: idèo hæc dicit Deus Israel ad Pastores, qui pascunt populum meum.* Et apud Jobum (k) inquiens, parum ipsis divitias, quas hoc modo comportaverint, profuturas, & quòd *Cum aperierint oculos suos, nihil irvenient, sed justus vestietur illis;* & argutum innocens dividet. Quod etiam Salomon in Proverbis (l) edocuit, dum dixit: *Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditori, & egreditur.*

16 In qua loca respiciens D. Basilius (m), eos qui ita se habent, piscibus similat, qui se invicem comedunt, & tandem major ab ultimo viatore absorvetur. Et Abulensis (n), post Div. Chrysostomum, inquit, vocem illam Christi Domini: *Redde que sunt Cæsari Cæsari;* de illis qui dem Tributis accipienda esse, quæ in nullo Pietati nocent, *Quia si aliquid tale fuerit, non adhuc Cæsaris est, sed diaboli.*

17 Xenophon (o) etiam, licet divinis præceptis non institutus, Agesilaum monentem inducit: *Ut plorimis eos bonis cumulet, qui sub Imperio suo constituti sunt.* Et Apollonius (p) apud Philostratum, Vespasiano Augusto consuluit, ut eas divitias magni dumtaxat ficeret: *Non que in culto reposita jacent, quid enim hæc ab arene cumulo differunt?* Nec ea qua ex collatione tributorum à gementibus boniibus provenient. Atrum enim sordidumque putandum est aurum, quod ex lachrymis oritur, dicitur autem optimè supra omnes Reges uteris, si eas gentibus communicaveris, divitibus autem permisseris, ut facultatibus suis tutò frui possint.

18 Cassiodorus (q) quoque, ultra loca, quæ jam ex eo adducta relinquo, multus est in eodem documento præstante, & Principibus suadendo, ut vel ob hoc ipsum, quòd divitiarum augmenta procurant, parcè illas à subditis colligant, sic enim in quadam epistola inquit, Principes increpans, qui subditos, quos pascerre deberent, exhausti: *Pudeat (inquit) illis tollere, quibus jubentur offerre.* Ultra omnes crudelitates est, divitem fieri velle de exiguitate mendici. Amendatur honesta lucra; horreantur dannosa compendia: nullus audeat inde tollere, quod possit collecta dispargere. Ad dendo perdidit, qui retinendi collegerit; & paupertatem potius ad se trahit, si exigentium pecunias non repellit, ubi Ego gentium legi debere, contendem, licet Fornerius, & Brossæus cum vulgari lectione pertransirent.

19 Eurus in alio (r), ob eamdem rationem incrementum, quod queritur, moderationem, de qua agimus, adhibere debere, his verbis insinuat: *Clementia fiscalium Tributorum justissima sunt pensanda judicio: quia servientium immunitio est, hujus illationis accessio, quantumque pars illa proficit, tantum se hæc firmitati subducit, ideoque excludenda est dispendiosa semper enormitas. Nolumus enim tale aliquid indici, quod sit necesse removendi.*

20 Quod & ipsum Sanctus Epiphanius Theodorico Regi pro Ligurum Tributis imminuendis consuluit, cuius verba, Ennodio (s) referente, sic habent: *Liguribus tuis largire, quod proferas, tribue, quod reponas: futurorum questus est temporalis indulgentia. Boni Principis est, cun virtutibus amare famam, &c.*

21 Relictisque aliis, quæ in rem hanc expendi faciliè possent, dignum est, ut silentio non involvatur, celebre illud Ulpiani Juris-Consulti (t) responsum, ubi consultit, antiquitus constituta & consueta munera, & onera, in provinciis servari debere: *Ne sine discriminâ, & frequenter his Provinciales oppressi, simul & viris, & viribus Respublica desituantur.* Quo loci verbum illud, *Viris, non solum eo tendit, quòd cives, tributis gravibus onerati, deficeret vel aufugere solent, & quòd multoties evenit, & Neapoli, atque alibi hisce nostris temporibus contigisse vidimus, in defectiones & seditiones prærumpere, ut multis ab omnia aetate peccatis exemplis Aschaffus (u), & Be-*

yer-

(c) Marq. in gub. Chr. lib. 1. cap. 16. §. 3.

(d) Lope Bravo de reg. rat. lib. 3. fol. 31.

(e) Bobad. lib. 5. cap. 5. per tot.

(f) Velazq. de opt. Princeps. lib. 3. d. num. 12. & 13. & lib. 4. d. num. 5.

(g) Villarr. in lib. Judic. cap. 15. num. 14.

(h) Saaved. dñs. Empr. 67.

(i) Jerem. 23. 1.

(l) Job 27. 16. & seq.

(m) D. Basil. in orat. de avarit. & homil. 7. in Hexam.

Vide integrum locum supr. Emb. 65.

(n) Abulens. supr. Matth. cap. 22.

(o) Xenoph. in lib. de laud. Agesil.

(p) Philost. in vita Apollon. lib. 5. cap. 13.

(q) Cassiod. lib. 12. epist. 13.

(r) Idem lib. 4. epist. 38.

(s) Ennod. in vita S. Epiphan.

(t) Ulpian. in l. & qui originem, §. Præses, D. de mu-

ner. & honor.

(u) Aschaff. de arar. in Indice, verb. Seditiones.

yerlinchius (x) ostendunt, & Monostichum inquiens: *Propter exactum Tributum plurima est rebello. Sed in illud etiam, quòd parentes à generandis, & procreandis liberis abstinent, ubi se immoderatis tributis gravatos, vel gravandos esse conspiciunt. Sic enim Seneca (y), de hac felicitate sub bono Principe agens: Tolleret (inquit) famine filios cupiant, ut publicis malis indicta sterilitas recludatur.*

22 Et Plinius Junior (z), postquam sepè & valde suum Trajanum laudavit, quod non solum in tributis suo tempore constitutis parcissimus fuerit, verum & ab aliis retrò Principibus constituta, remisserit, nihil referre iniurias existimans, exigi, quod debet non oportuerit, an constituere ut in posterum debeatur, hinc factum esse inquit: *Ut feminas etiam tunc, fecunditatis sue maxima voluptas subiret, cum cernerent, cui Principi cives, cui Imperatori milites peperissent.*

23 Et expressius adhuc Nazarius (a), de simili Constantini liberalitate, seu benignitate agens, & ita subiecti: *Septem millia capitum remissisti, quartam amplius partem nostrorum censum. Remissione ista viginti quinque millibus dedisti, vires dedisti opes, dedisti salutem. Nam tunc liberi parentes suos cariores habent, & matri conjuges non gravatè tueruntur, & parentes adulorum non penitet filiorum, quorum onera sibi renissa letantur.*

24 Similes laudationes ob eorumdem Tributorum levamen apud Themististium de Theodosio, Eumenium de Constantino, Mämetinum de Maximiano, Ausonium de Gratiano, & alios passim Panegyristas legere licet, & in omnium historiis hæc eadem lenitas in Alexandro Magno, Tiberio, Pericle, & alios Principibus, quos Beyerlinchius (b) congerit, commendatur. Inter quos Nerva Cocejus, ut recolit Petrus Gregorius (c), Civibus Romanis cum magna laborarent egestate, non tantum agros ad sublevandam penuriam distribuit, sed vestes suas proprias, vasa argentea, atque aurea, relinquantque supellectilem vendidit, atque aliis summa benevolenta erogavit. Et secundum Sabellicum (d) Marcus Antoninus Imperator, Philosophus dicitus, cum confiendo bello pecuniae deficerit, omnia aurea vasa, argentea, crystalina & Myrrina, cum omni principali supellectili, ornatusque conjugis, publicè vendidit, ne tributa imperando, civitatibus, aut provinciis gravis esset.

25 De Joanne quoque Rege nostro (e), hujus nominis I. ejus narrat Historia, quod cum à quibusdam ex suis Ministris suaderetur, ut grave quoddam tributum, pro confiendo bello, vassallus injungereret, iratus respondit: *No me aconsejéis, que lo que es bien de mis vasallos, es de mi servicio, i lo demás, mas en daño mío, que dellos.* Qua verba ab Imperatore Justiniano mutuata videantur, in quadam ex suis legibus (f) edicente: *Sed quod communiter omnibus prodest, hoc res privata nostre utilitati preferendum esse censemus, nostrum esse proprium subiectorum commodum imperialiter existimantes.*

26 Quibus verbis alia similia passim Cassiodorus (g) in suis formulis refert, vassallorum quietem, & lucrum, propriam messem, ac gaudium Principum esse inquiens, eorumque gloriam in populum salute consistere, & opinionem ex subiectorum securitate disseminari. Et qui velit plura, Corrasum (h), & Gaillium (i) legere poterit. Et memorabile factum Theodosii Imperatoris apud Baronum (k), qui aduersus Eugenium bellum gesturus, anno Imperii sui XI. non solum ab inferendis novis tributis abstinuit, sed recens, indicunt à Praefecto Praetorio Taciano ante biennium Consule, novo dato rescripto, omnino remisit, ut in quadam lege, quæ in ejus Codice (l) exstat, habetur. Et, quod plus est, omnia proscriptorum bona, quæ Fisci nomine singulis quibusque idem Tatianus eripuit, vel ipsorum filii, aut conjunctis restitui mandavit, gemina ea de re dato rescripto, quod in eodem etiam Codice (m) reperitur. Quibus ex factis magnam excitasse admirationem, laudemque sibi parasse, Baronius (n) scribit. Statim valde in rem nostram, hæc verba subjungens: *Hec rogo, attendant, qui in bellico apparatu non lagitationibus, & eleemosynis preces pauperum sibi conciliant, sed eorum luæ, & acerbioribus exactionibus, & clamoribus Deum contra se provocant, & infensum penitus reddunt, secundum illud David (o) dicentis, propter miserian iniquam, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Cum interdum contingat, ea ipsis subditos pati à suis Principibus, que nec ab hostibus forent aliquando expertari. Unde accedit, ut quantumlibet belli justa causa præcesserit, illud tamen triste Dominus effari cogatur, indigens (p). Heu consolabor super hostibus meis. Cum scilicet cogitur (ut ita dicam) Deus invitatus in suos*

(x) Theat. vitæ human. lit. T. pag. 113.

(y) Senec. epist.

(z) Plin. Jun. in Paneg.

(a) Nazar. in Paneg. Constant.

(b) Beyerl. in Theat. lit. T. pag. 214.

(c) Petr. Greg. lib. 3. de Rep. cap. 6. num. 35. & 36.

(d) Sabellic. lib. 4. Enead. 6.

(e) Chronic. Regis Joann. I. cap. 4.

(f) Just. Imper. in l. un. C. de ead. toll.

(g) Cassiod. lib. 6. epist. 23. & 24. lib. 3. epist. 38.

(h) Corras. de juris arte, 1. part. cap. 23.

(i) Gaill. 2. præst. cap. 56. ex num. 3.

(k) Baron. tom. 4. ann. 393. num. 37. & seqq.

(l) L. 23. de ann. & trib. in C. Theod.

(m) L. 1. & 13. C. de bon. præst. in Theod.

(n) Baron. ubi supr.

(o) Psalm. 11.

(p) Isaïe 1.

suis arma convertere, que in hostes exacerat justus zelus.

27 Quò etiam tendit nobile illud Apophthegma nostri Regis Henrici III. meritò à Docto, & Pio Viro Ægidio Davila (q), qui nuper ejus historiam edidit, commendatum, quatenus quibusdam consulentibus, ut ad Regios redditus augendos, & belli sumptus faciendo, novum quoddam vœtigal vassallis imponeret, Regiè egregiè respondit: *No me lo aconsejéis, que temo mas las lagrimas, i maldiciones de mis pueblos, que las armas de mis enemigos.*

28 Ac planè, qui se veros Reges, hoc est Populorum Patres, & Pastores ostendere volunt, illud etiam curare summopere debent, ut si forè urgens aliqua causa, gravia & insueta Tributa subditis imponi suaserit, eadem causa cessante, tollantur, & quod bellorum calamitas introduxit, Pacis lenitas sopiat, ut alibi (r) Justinianus Imperator, Caducarias leges abrogans, dixit, & latè prosequitur Tiraquellus (s), hanc necessitatē legem imponens, licet aliqui legibus carere dicatur, ut ejus causa cessante, cesse quoque, quod ob eam statutum, aut introductum est: quia ut præclarè Innocent. Papa (t), idem ipsum edocens, subjungit, *Quod pro remedio statutum fuit, constat primitus non fuisse. Aliudque est ordo legitimus, aliud quod usurpatio ad præsens fieri tempus impellit.* Et ut ait Dionysius Halicarnaseus (u): *Quicquid necessitas pro tempore, vel privatis, vel ci-vitatis afferit, tantisper duret, donec cesseat ea necessitas.*

29 Qua de re cum plura alia Vasquius (x), Molina (y), Klock, Cochier, & alii (z), quos novissimus Aschaffenburgius adducit, comminiscantur, contentus ero laudabilem hujus rei consuetudinem Gallorum referre, quorum Reges, u. Cochier (a) tradit, solemne juramentum præstare solent, quo disertè cavent, se tributa ob necessitatem ingruentem imposta, remissuros, ut primum hanc cessare compertum fuerit. Quod Philippum Longum, Philippum Valesium, Henricum IV. & alios, te ipsa confirmasse, iidem Autiores testantur, licet hoc ita malè à pluribus observari soleat, numquam quod semel assumpserunt, remittentibus, ut benè ex Alcibiade Marquez (b) dicere potuerit, eos speluncis leonum similes esse, alludens ad illud Horatii (c):

*Olim quod vulpes agroto cauta leoni
Respondit, referam, quia me vestigia terrent,
Omnia in adversum spectantia, nulla retrorsum.*

30 Et extat notabilis Novella (d) Tiberii II. Imperatoris, qua suis Populis faturorum tributorum relevationem, & præteriorum indulgentiam pro quarta parte concedens, ad hoc se in memoriam & honorem Passionis, ac Resurrectionis Dominicæ, & exemplum Ägyptiacæ servitutis, motum fuisse describit, & ex justitia, & benignitate: *Quarum altera æquabiliter suum cuique tribuit, neque appetit aliena: altera ad misericordiam recurrit, & debitorum incommunitate egentes subditos liberat.* Unde ibidem benè Interpretæ (e) adnotant, hanc, de qua loquimur, relevationem Tributorum, ex Principiæ justitia procedere, & vel hac deficiente, ex sola Benignitate, sive Philanthropia, hoc est, subditorum amore, ad illorum moderationem suaderi debere, ne nimium gravati deficiant. Nam ut vetus Monostichum monet,

Reges boni minuant tributa, augent mali.



EM-

(q) Ægid. Gonzal. in Chron. Henr. III. cap. 5. pag. 9.
Bobad. in Polit. lib. 5. cap. 5. num. 10.

(r) Just. in l. unic. in princ. C. de caduc. toll.

(s) Tiraq. de ces. caus. 1. part. num. 184.

(t) Innoc. PP. in cap. quod pro remedio, 1. quest. 7.

(u) Dion. Halicarn. lib. 8.

(x) Vasq. de Menchac. de succ. prog. in pref. num. 68.

(y) Molin. tom. 3. disp. 68.

(a) Kloc. Cochier. & alii apud Ascaff. de ærat. pag. 208.
& 823. Cabrer. de metu, lib. 2. cap. 23. num. 30.

(b) Cochier. in Thesaur. polit. lib. 2. cap. 10. fol. 95.

Ascaff. ubi supr. & iterum pag. 586.


(c) Marq. lib. 1. cap. 30. pag. 105.

(d) Horat. lib. 1. epig. 1.

(e) Tiber. Imper. Novell. 163. de elevat. tribut.


(f) Cujac. Joachim. & Matth. Steph. in 4. Novell.

IN PRINCIPES INSUETA TRIBUTA IMPONENTES.



*Crudelis Princeps, Sceptrum cur tendis in umbram
Arboris? Et nummos cur Tibi solvit inops?
An juvat, umbra fugax solvat nunc ista tributum?
Cum sit at ipso nihil, quid habit? Ecce nihil.
Vincit Avaritia imperium; quod si fugit umbra
Non fugit, Imperii si sit Avara manus.*

COMMENTARIUS.

I Ui moderatum in Tributis principem cupimus, satis à multis, & præsertim gravibus, & insolitis, abstinere debere manifestamus. Sed quoniam, ut habet in suo Panegyrico Plinius (a), numquam Principibus defuerunt, qui fronte gravi, & tristi supercilie, utilitatibus Fisci contumaciter adsint, & omnia subditorum bona ipsis subjacere susurrent, èd miseros subditos adigentes, ut novis, iisque gravissimis inductionibus oppressi, veteres se persolvere posse desperent, & ad vetera tributa deficiant, non videbor oleum, & operam perdere, si in prava hac doctrina convincenda, & compescenda, & improba ejusmodi hominum fæce, aut verius face, à Palatiis eliminanda, aliquantisper immoratur.

2 Certò enim certius est, eos, qui hoc audent vel audiant, non tam Christianum seculum sapere, quam illud Domitianæ, de quo idem Plinius subjungit, exturbatis prioribus dominis, omnem stagnum, omnem lacum, omnem etiam saltum, immensa possessione circumvenisse, & unius oculis flumina, fontes, maria deseruisse, nihilque esse, quod non sunt videret; atque adeò jam spoliarium civium, cruentarumque prædarium receptaculum effectum fuisse. Ita ut de eodem dicere potuerit Juvenalis (b),

*Quicquid conspicuum pulchrumque ex æquore toto
Res fuci est, ubicunque natat.*

Sss

(a) Plin. in Paneg. ad Trajan.

Bo-
(b) Juven. satyr. 4.